

FK.135.  
60

Linguis  
vere quid?

II C  
88

de formula veteri: linguis  
uniusq; fuisse. X1862752

JOVA JUVA!  
FELIX ET FAUSTUS  
TOTUS UT ANNUS EAT.

VOTA  
SUNT CRUCIANI,  
CUJUS SUPERIORES ALIQVOT  
DISCIPULI,

BONÆ SCÆVÆ CAUSSA,  
FUTURO XIV. JANUARII  
BREVES RECITABUNT ORATIUNCULAS.

<sup>QVOD</sup>  
DOMINIS PATRONIS,  
BENEFACTORIBUS ET INSPE-  
CTORIBUS PLURIMO AMORIS ET  
HONORIS CULTU COLENDIS  
*INTIMANDUM DUXIT*

Joh. Augustinus EGENOLFUS,  
RECTOR.

DRESDAE,  
LITERIS BERGENIANIS.



GLorla In sVpernIs DEO, & In terrIs  
paX, hoMINibVs Læta VoLVntas!

Prospera lux oritur, linguisque animisq; favete,  
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

**S**Erba sunt Peligni Oloris, qvibus Noviennii faciendum initium,  
& Calendas Januarii justo ritu celebrandas cecinit jam olim.  
Fastor. I. 71. Ubi *Prospēra* pro *Posterā*, qvod qvibusdam est in  
editionibus, rectius legitur absq; dubio, idq; consideratæ  
Lectoris attentioni facile patet è contextu. Quid vero *Linguisq;*  
*animisq;* *favere* sibi velit, non adeò certum est omnibus. Sunt,  
qvibus formula videtur *Silentium præcipientis*, utuntur enim autoritate Sene-  
cæ, qvem Romanæ porticus Zenonem nominant eruditi. Hic de vita bea-  
ta ad Gallionem, c. 26. 27. *Hoc verbum, Favete linguis,* ait, non, ut plerique  
existimant, à favore trahitur, sed imperatur silentium, ut ritè peragi possit sa-  
crum, nulla voce malâ obstrepete. Qvod multò magis necessarium est impe-  
rari vobis, ut si quidex illo profertur Oraculo, intenti & compressa voce audiatis.  
Nos verò, qvibus amicus Plato, amicus Socrates, amicus etiam Seneca, sed  
magis amica Veritas, neutiq; silentium præcipiendi, sed benè ominandi  
potius, bona verba loquendi, ενΦημεῖν, benè dicendi Formulam esse non tam  
putamus, qvam vi argumentorum certò statuendum esse judicamus. Primo  
qvidem *Favere* nunq; est *Silere*, sed *Fari avere* sive *Bona fari* & *Benevolen-*  
*tiam* ostendere, cuius testem Becmann. in Origin. & Martinium in Lexico  
dare possumus, utrumq; integrum & incorruptum, qvibus Corvinus in  
Fonte adstipulatur. Deinde contextus Sulmonensis Poëtæ docet, hanc  
per phrasin non tacendum, sed dicendum esse, namq;  
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Et paulo post v. 75. *Lite vacent aures &c.*  
*differ opus livida lingua tuum.*

Qvæ lectio qvamvis sit Heinsii, pro Turba li Lingva substituentis, attamen &  
illa Vetus ab interpretatione nostra non dissentit. Noverat nimirum Poëta, &  
probè noverat, qvod non sine litibus esset prima dies, Fast. I. 165. qvia vetusto de-  
more Calendis Januarii demonstratione artis, qvam qvisq; profiteretur, cer-  
tabant artifices, ut capta ab initio felicitate ominis eandem toto exercere pos-  
sent anno. Jurgia igitur & lites cum exesse debeant, qværit ex Jano Poëta v. 175.  
*At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,*

*& damus alternas accipimusq; preces?*

Ad qvæ Janus: *Omina principiis, inquit, inesse solent.*  
& paulo post v. 181. - - - *non lingua caducas*

*Concipit ulla preces, dictaq; pondus habent..*

Tandem apud Ovidium formula hæc nunq; præcipit silentium. Sic adve-  
niente in Serpentis forma Æsculapio exclamat Sacerdos Metam. XV. 677. 680.  
- *Deus en, Deus en; animis linguisq; favete*

*quisquis ades &c.*

*Quisquis adest, iussum venerantur Numen; & omnes*  
*Verba Sacerdotis referunt geminata, piumque*

*Æneadæ præstant & mente & voce favorem..*

ubi sanè leberide cœcior sit, mentem qui Poëtæ non perspiciat.

Idem Poëta quando Amor. III. 13. 29. canit:

*Ore favent populi tunc cum venit aurea pompa,*

Schrevelius in notis *Ore favent* per *Tacent* interpretatur. Qvis non credat edi-  
tioni, qvam vocat, nitidissimæ & accuratissimæ? nihilominus tamen falleat  
interpretatio Lectorem, nisi totam perlegerit elegiam, cuius in versu 13.

*Ducuntur niveæ populo plaudente juvencæ, &c.*

Popu-

Populus certè plaudens ore favere & bona verba proferre potest, eo ipso verò dum plaudit, nequaquam tacere solet. Nec aliud est, qvod Cicero vult de Divinat. I. num. 102. edit. Gothofr. scribens: *Omina majores nostri quia vale-re censemabant, idcirco omnibus rebus agendis, QVOD BONUM &c. præfabantur; rebusq; divinis quæ publicè fierent, UT FAVERENT LINGVIS imperabatur.* Confer de Divinat. II. 83. & Plinium nat. hist. XXVIII. 2. Idem sensus est prologi Terentiani in Andria, ubi ait Poëta: *Favete, adeste æquo animo, &c.* Postquam enim maledictis Lavinii respondisset, hortatur adversarios, ut definant maledicere, malefacta ne noscant sua; statimque spectatoribus, ut favent sc. lingvis, & æquo adsint animo autor est. *Ore favete omnes, inquit Virgil. Aen. V. 71.* Qvod Taubmannus in notis sic explicat: *Precamini & clara voce navigationem secundam & locum in regione pacata urbis condendæ orate.* Vide plura ibidem, nostræ quæ sententiæ omnino respondent omnia. Hinc locum Horat. Odar. III. 1. 2. Discipulis lectione, dum Martinalia colligebantur, extraordinaria ita interpretari non erubui: *Kedet alles Liebes und Gütes von mir.* Confer etiam Lipsium Elector. II. 10. pag. 476. edit. Antwerp. Testimonia Propertii, Martialis, Statii parum refert adducere, nec ratio programmaticis admittit, qui cupidus est talium, Formulas Briffonii evolvat à pag. 8. ad 11. usqve, ubi multa reperiet lestu non indigna, è quibus tamen *pascere lingvam* idem esse ac lingvam coercere, continere, tacere, mihi quidem nemo persuadebit unquam, quem metaphoricus verbi *pascere* usus, v. g. *pascere oculos* Ter. Phorm. I. 2. 35. *pascere animum pictura* Virg. Aen. I. 468. maleficio & scelere pasci Cic. Offic. II. edit. Hildebr. p. 194. contrarium docuit vel in pueritia. Vide interim program. qvod Salve Gœrlensi suo præmisit tribus de gymnasii meritissimus Vir, Christianus Functius. Qvod si tamen nos inter & adversarios murus interest, non adeo magno subrui posse videtur ariete. Poëta certe elegiacorum Princeps hæc habet in Ibin v. 93.-96.

*Illum ego devoveo, quem mens intelligit, Ibin,*

*Qui se scit factis hæc meruisse suis.*

*Nulla mora est in me, peragam rata vota Sacerdos,*

*Quisquis ades, sacris ore faveto meis.*

Hic *ore favere* neque per εὐθημεῖν, neque per silere exponendum est, qvod tamen utrumque admitti posse Schrevelianæ volunt notæ. Est enim imprecatio, quæ hostibus mala quæq; optabant gentiles, ut sic Formula in malam, quoque partem adhiberi possit substrata pro materia. Sicut ergo in bonis omnibus & votis *benedicere*; ita in malis δυσθημεῖν maledicere notat. Ibin itaque devovens Poëta eos, qui sacris aderant, hortatum it, ut, quibus ipsum diris devoverat, favore suo comprobare, & eadem illi mala velint imprecari. Quæ Poëtæ mens nequaquam affingitur, seqventibus enim cuilibet, quid sibi velit, exponit v. 97.

*Quisquis ades, sacris lugubria dico verba &c.*

Sunt hæc verba mala, de quibus Propert. IV. eleg. 5. fine, quibus lingua futuro vati credebatur nocere. Virg. eclog. VII. 28. Lingua hæc dici potest tertia, de quæ vide Bochart. Hieroz. tom. I. p. 25. & Geier. in Ps. CXL. 12. p. m. 1258.

*Verum & nobis*

*Prospera lux orta est, linguisque animisq; favete,*

*Nam dicenda bono sunt bona verba die..*

Calendas enim Januarias purissimi sangvinis sui purpurâ, quem pro nobis in cruce fusurus venerat Jesus noster dilectissimus, initiavit, atque, ut redemptionis felicissimum faceret initium, salvifici æqvæ ac vivifici hujus roris guttas aliquot sparsit cupidissimus nostræ salutis Mediator novi Testamenti. Gaudeamus igitur & exultemus die tam felici, tam læta, tam exoptata:

*Hæc octava dies, quæ numine læta faventi,*

*Christe puer, cunis falsit oborta tuis,*

*Prima dies nostræ fuit exoptata salutis,*

*Sangvine dum fuso crimina nostra luis.*

Joh.



JAN 88

Joh. Stigelius de novi anni auspicio cecinit seculo præterito, cujus tum carmina Lucani etiam Musis à Philippo Melanchthonem longè sunt prælata. Wilck. Fest. Christi n. I. p. 69.

Calendis Januariis Marius Consul devicto Jugurtha triumfavit Romæ, qvâ tempestate spes atque opes civitatis in illo sitæ. Sal. bello jugurth. fine. Multò magis nos Calendis Jan. devicto triumfamus Satana, qva tempestate, spes atque opes Ecclesiæ & Scholæ publicæ Dresdenis, imò nostrorum omnium in dulcissimo JESU nomine, & sanctissimo illius, qvem pro nobis in circumcisione effudit, sangvine sitæ sunt. Grates nunc omnes devoto corde, pia lingua, pura manu Redemptori agamus, dicentes:

Christe, sit tibi, Patrique sit sacroque Flamini  
Hymnus atque laus perennis, gratiarum & actio.  
Psallat altitudo cœli, psallat omnis angelus,  
Qvicquid est virtutis usquam, psallat in laudem DEI,  
Nulla lingvarum filescat, vox & omnis consonet.

Seculorum seculis.

Sed & linguis animisq; faveamus, & Serenissimo atq; Potentissimo Electori & Domino nostro, Patriæ Patri indulgentissimo, cum Serenissima Conjuge atq; Matre Vidua, Serenissimis itidem Filiis, Patriæ deliciis gratissimis, Dominis & Dominabus nostris clementissimis, atq; adeò universæ familiae Eleitorali ANNARE precemur atq; feliciter PERENNARE. Qvò sic geminus Electoralis, hodie in cœlo etiam resplendens, gladius sub umbra rutæ semper virientis protegat & conservet Oleam in omnibus Dominorum Confiliariorum collegiis, ut & in Curia; Palmam in Ecclesia; Amaram-dulcem in Schola; Rosas cum liliis convallium & aureo Ramo in universa civitate, atque ita Deus benignissimus omnibus & singulis in Foro, in Choro & in Toro benedicere & benefacere desinat nunquam.

Sit procu'lævum, Deus optime, omen,  
Nec mali qvicquam finito evenire,  
Qvò minus vultu populus sereno

Possit ex voto celebrare sacra.  
Tuta divino assidue perennet,  
Dresda favore..

Tandem pro more per decennium jam recepto producendi sunt aliquot ex nostris Oratores, collectis qvi Xeniis, & grata mente manuque ab Alumnis receptis dicant è Cathedra, & qvidem futura die XIV. Januar. citius enim ad ordinarios vix redibimus labores, finita concione sacra & precibus publicis ordine prodibunt seqventi:

*Andreas Meurer / Lipsiensis*, præmissis breviter voti Noviennii ac precibus, de Incarnatione & Nativitate Christi perorabit prorsa latina.

*Joh. Fridericus Oßwald / Dresdenensis*, de eadem differet Carmine Heroico latino, qvi & ipse preces pro pietate sua noluit deesse.

*Georg. Christian. Schuman / Belger.* recitabit memoriter IV. eclogam Virgilii.

*Joh. Christophorus Graun / Strigonicensis*, eandem eclogam in Genus elegiacum transpositam, qvâ & ipse sacram, qvam tractamus, materiam exprimat, è memoria depromet.

*David Gæsgenius, Mega-Thymilico Ohrtrantinus*, Messiam in V. T. promissum, in N. T. exhibut probabit, eumq; nullum alium esse, qvam Jesulum nostrum græco confirmabit idiomate, simulque Carmen germanicum de Nativitate Christi recitabit.

*Benedictus Benjamin Mirus, Wiedricensis*, memor beneficii, qvod in expugnatione Budæ 2. Sept. (23. Aug.) anni præteriti Christianis exhibere voluit Omnipotens, dictæ de urbe, & qvod per CXLV. annos sub jugo Turcico ingemuerit, nunc verò DEO feliciter annuente victricibus Christianorum armis liberata, & Regi atque Domino suo restituta sit, oratiuncula latina differet pro captu, actisque gratiis concludet.

Vale Lector Optime, &, si meremur, rem scholasticam cura; sin minus, conatus nostros improbandos esse ostende. Dresdenæ ipsis Januar.

Calend. M DC LXXXVII.

• (o) •

UD77

GLorla In sVpernIs DEO, & In terrIs  
paX, hoMINibVs Læta VoLVntas!

Prospera lux oritur, linguisque animisqve favete,  
Nunc dicenda bona sunt bona verba die.



Erba f.  
& Cal.  
Fastor.  
editio  
Lecto  
animis  
qvibus formula vid  
cæ, qvem Romanæ  
ta ad Gallionem, c.  
existimant, a favor  
crum, nulla voce m  
rari vobis, ut si qvia  
Nos verò, qvibus  
magis amica Verita  
potius, bona verba  
putamus, qvam vi  
qvidem Favere nur  
tiam ostendere, cu  
dare possumus, u  
Fonte adstipulatur  
per phrasin non t

Nunc dicen  
Et paulo post v.

Qvæ lectio qvamvi  
illa Vetus ab interp  
probè noverat, qv  
more Calendis Jan  
tabant artifices, ut  
sent anno. Jurgia i

Ad qvæ Janus:  
& paulo post v.

Tandem apud O  
niente in Serpent

- Deus en

qvisqvis a

Qvisqvis

Verba Sacra

Æneadæ p

ubi sanè leberide cœcior sit, mentem qvæ Poëta non perspiciat.

Idem Poëta qvando Amor. III. 13. 29. canit:

Ore favent populi tunc cum venit aurea pompa,

Schrevelius in notis *Ore favent* per *Tacent* interpretatur. Qvis non credat edi  
tioni, qvam vocat, nitidissimæ & accuratissimæ? nihilominus tamen falle  
interpretatio Lectorem, nisi totam perlegerit elegiam, cuius in versu 13.

Ducuntur niveæ populo plaudente juvencæ, &c.

Popu-



ennii faciendum initium,  
candas cecinit jam olim  
a, qvod qvibusdam est in  
ubio, idque consideratæ  
xtu. Quid vero Linguisq;  
rtum est omnibus. Sunt,  
tur enim autoritate Sene  
erudit. Hic de vita bea  
vis, ait, non, ut plerique  
n, ut ritè peragi possit sa  
tagis necessarium est impe  
& compressa voce audiatis.  
amicus etiam Seneca, sed  
endi, sed bene ominandi  
li Formulam esse non tam  
m esse judicamus. Primo  
ve Bona fari & Benevolen  
.. & Martinium in Lexico  
im, qvibus Corvinus in  
iensis Poëtæ docet, hanc  
namq;

uum.  
a substituentis, attamen &  
Noverat nimirum Poëta, &  
Fast. I. 165. qvia vetusto de  
m qvisq; profiteretur, cer  
eandem toto exercere pos  
qværit ex Jano Poëta v. 175.  
dis,  
reces?  
solent.

ondus habent..  
ræcipit silentium. Sic adve  
erdos Metam. XV. 677. 680.  
te

n; & omnes  
ive  
em..